



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

26 Confessio actualis, quando requiratur, ad consequendam indulgentiam,
& quando non.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

decore iustitiæ: si autem manente culpa, remitteretur pœna, esset sublati reatus pœnæ, sine decore iustitiæ; quia adhuc remaneret dedecus culpæ, & sic esset aliquid inordinatum in universo, quod divina sapientia non permittit, *arg. in auct. de hered. & scilicet. §. inordinatum, col. 1.*

Oportet igitur, ut quis esse possit capax indulgentiæ, quod sit purgatus à culpa media contritione, tum, quia membrum mortuum non potest suscipere influentiam ab aliis vivis, S. Thom. 3. par. in addit. q. 27, art. 1. in arg. sed contra; tum demum, quia id in literis indulgentiarum exprimi solet, in quibus dicitur verè pœnitentibus, & confessis, ut idem S. Thom. probat in corpore ejusdem articuli.

26 An autem ¶ sit semper necessaria actualis confessio ad indulgentiam consequendam, omittis variis doctorum opinionibus;

Primo respondetur, in iis indulgentiis, quæ per modum Jubilæi concedi solent, in quibus expressè habetur, sacramentalera confessionem intra primam, vel secundam hebdomadam post publicationem, actualiter requiri, indulgentiam, nisi prævia actuali confessione, consequi non posse; quod idem dicendum est in aliis literis, in quibus vel eodem modo, vel æquipollenti alio exprimitur.

Secundò, si indulgentia absolute concedatur sine ulla expressione confessionis, aut clausulæ verè pœnitentibus, & confessis, tunc illis, qui semel in anno fuerunt confessi, & habent propositum confitendi, & contritionem de peccato præterito, non requiritur actualis confessio, sed satis est, esse in gratia; nam sic præsumendum est, esse de mente concedentis, Palud. in 4.

d. 20. q. 4. art. 2. Abb. in c. omnis utriusque sexus, de pœnit. & remis. n. 21. Car. in Cle. 1. de reliq. & vener. Sanct. Navar. eod. com. not. 18, n. 11.

Tertiò, si sub hac forma indulgentia concedatur, consequuturum esse, qui hoc, aut illud fecerit, indulgentiam omnium peccatorum, de quibus verè fuerit confessus, & contritus, tunc, si pro consequenda indulgentia quis confiteatur, si non, eorum tamen peccatorum remissionem consequetur, quæ fuerit aliquando integra confessione confessus, Gab. in 4. d. 45, q. 3, art. 3. & Cord. q. 27, de ind. propos. 3. op. 3. & alii per ipsum allegati.

Quartò, cum in forma indulgentiæ concedi dicitur verè pœnitentibus, & confessis, res videtur sanè dubia, & quamvis Paulus sententia, quæ videtur fuisse Doctorum communis, probabilis sit, securius tamen est, & probabilius, requiri confessionem actualem, ut existimant S. Anton. 1. par. tit. 10, c. 3, §. 2, & 5. Ang. in sum. verb. Indulgentia, n. 7. Adria. in q. de indulg. Cajet. in opusc. de indulg. ad Iulium Medicen, c. 10. Navar. loco cit. n. 2. & seq. quod etiam expressè habet gl. in d. extrav. 1. de pœn. & remis.

27 Dubitari enim potest, quando confessio exigitur ad consequendam Indulgentiam, si quis nullam peccatum mortale post ultimam confessionem commiserit, debeat pro illa obrinenda confiteri saltem venialia. Duplex est in hoc sententia, quam aliqui affirmant, alii verò negant. Prima enim tutior est, sed posterior etiam est probabilis, quam sequuntur S. Anton. ubi supra, & Nav. eo. not. 18, n. 18. Sylvestr. verb. Indulgentia, n. 20, & alij: qui tamen doctores conciliari possunt, si distinguendo;